



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas II. Proponuntur Modus, quo puniuntur spiritus igne.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

contrariæ, id quidem verum est. Sed nego dis-
temperamentum hoc salvari, ut non sit perfec-
tio ab igne seu sine unctione. Redit autem quæ-
stio quomodo uratur spiritus?

S. Thomas, qui in oppositum adducitur, hoc
tantum significat, quod alligetur igni, nec pos-
sint illum à se excutere, nec operari sine illo,
censetque hoc superaddi igni corporeo, in quan-
tum est instrumentum Justitiæ divinæ. Sed in-
de non sequitur, quod hoc solummodo tor-
queatur; nihil enim de hoc inibi S. Tho-
mas.

EXPLICAT 2. Suarez, & post illum Arriaga
d. 6. n. 45. Quod scilicet producat quædam qua-
litas, scilicet substantiam spirituales, habens
formalem repugnantiam cum gratia, eandem
substantiam immediatè perficiente. Sicut enim
datur qualitas, quæ reddit Angelum vel ani-
mam pulcherrimam, ultra suam naturam: ita
etiam posset dari qualitas, illi ex natura sua re-
pugnans, quæ fædet & deformem reddat talem
substantiam. Et sicut carere qualitate gratiæ,
est de se sufficiens objectum tristitiæ, pertinen-
tis ad poenam damni: ita affici qualitate repu-
gnante pulchritudini gratiæ, & conferente for-
malem quandam turpitudinem, illi qualitate re-
pugnantem, est sufficiens objectum doloris.
Quod ipsum sic aliter ex eodem Suar. proponi-
tur. Ignis est agens quoddam materiale, & spi-
ritus subjectum patiens, spirituale; Et quia om-
ne quod recipitur ad modum recipientis reci-
pitur; ideo dolor receptus in spirituali, spiri-
tualis est, consequenter etiam objectum illius:
nullum enim extrinsecum agens, causat imme-
diatè dolorem, sed immittendo objectum do-
loris; dolor enim est actus vitæ: actus autem
vitæ supponit objectum, præcipue verò dolor,
qui est definitivè de objecto, quod est malum
præfens. Quod si objectum illud est spirituale,
estque principiatum ab agente materiali, debuit
illud agens facere illud, tanquam instrumen-
tum Dei.

Hoc ipsum sic ulterius declarat Arriaga. Sic-
ut se habent qualitates materiales ad subjectum
materiale, ita se possunt habere qualitates spiri-
tuales ad subjectum spirituale, quod videtur ef-
fe per se clarum. Porro inter qualitates mate-
riales aliquæ sunt conformes & gratæ subjecto,
v. g. palato dulcedo; aliæ verò sunt contrariæ
& dissonæ, v. g. amaritudo fellis. Ergo eodem
modo discurre debemus respectu subjecti spi-
ritualis, ut aliquæ sint bene efficientes subje-
ctum spirituale, aliæ malè & ingratæ, inter has
autem qualitates dissonas, potest poni prædicta
qualitas. *Hec Explicatio*

NON SATISFACIT. Quia illa qualitas &
salvaret poenam ignis, & non salvaret: salvaret
ut supponitur, cum hoc deposcant locutiones
Scripturæ & Patrum: non salvaret autem, quia

concedo per potentiam obedientialem posse
produci talem qualitatem spirituales, conce-
do quod fædet animam, opponatur gratiæ, dis-
sonet substantiæ spirituali. Sed nego inde sequi,
jam illam esse talem, quæ habeat dissonantiam,
pressuram, tormentum poenalis ignis: in
quo enim stabit illa poenalis?

Quod ipsum sic aliter urgetur, quia vel illa
qualitas habet rationem poenalis ignis, ex
eo, quod producat ab igne obedientialiter a-
gente, vel ex eo, quod sit dissona spiritui: Neu-
trum salvat poenalitatem igneam: non primum,
quia qualitates per potentiam obedientialem
ignis producibiles, possunt etiam esse gratæ spi-
ritui, cumque nullam specialem connexionem
habeat cum igne, nullamque ut dicunt, in his
materiis inchoatam similitudinem, non salvat
poenalitatem igneam. Deinde possunt divini-
tatis produci ab alio igne variæ & specie distin-
ctæ qualitates dissonæ, neque tamen habere for-
malitatem poenalis ignis. Ergo ex hoc
præcisè, quod producat illa qualitas tanquam
dissona spiritui ab igne, non potest salvari ratio
poenalis ignis. Quæ etiam ratio probat, ex
eo, quod illa qualitas sit dissona, non salvari po-
enalitatem igneam. Imò, cum definitivè sit illa
qualitas nonnisi deformativa & opposita gra-
tiæ, nihil importat in se de formalitate poenali-
tatis ignis.

DIFFICULTAS II.

*Proponitur Modus, quo puniuntur spi-
ritus ignis.*

EXPLICATUR 3. sic prædicta difficul-
tas.

Impossibile est esse dolorem sine perceptio-
ne. Ratio in primis petitur ab experientia. Vi-
demus enim ea quæ nihil percipiunt, nihil do-
lere, ut lapides, arbores & similia. Et fundatur
ulterius in hoc principio, quia dolor vel est in
appetitiva, vel in noscitiva, vel in sola receptiva
qualitatis dolorificæ. Si sit in hoc ultimo, se-
quitur quod deberet etiam lapis dolere, posita
in illo qualitate dolorifica. Sequiturque ulte-
rius, nihil esse in mundo, quod non sentiat, vel
sentire non possit: quia omnia sublunaria, sunt
receptiva qualitatum dolorificarum: Si autem
dolor est situs in secundo, ergo quod percepti-
vum non est, non potest dolere, quia nihil ap-
petitum nisi præcognitum. Quod si dolor est
in noscitiva etiam, habetur intentum, quod ni-
hil doleat nisi noscitivum. Quod si impossi-
bile est esse dolorem sine perceptione, etiam in
dæmonibus debet esse perceptio doloris, quæ
ostendat poenalitatem ignis, ut ita salventur di-
cta Scripturæ & Patrum: Ut autem ostendatur
poenalis ignis; debet esse dolor unctionis, ut
ita dicam: hanc enim communis apprehensio
accipit pro poenali ignis.

Porro dolor ustionis, duplex cogitari potest, materialis & proprius, & alius spiritualis & per proportionem quandam dictus: in demonibus non potest ab igne causari dolor materialis, & proprius ustionis: cum enim non sit quidquam ustibile nisi materiale, si Angeli materiales non sunt, nec sunt ustibiles, adeoque respectu illorum, non potest dari materialis ustio. Ustio autem spiritualis & per proportionem dicta, si detur, illa bene uri poterunt demones, salvari que tota poenalitas ignis. De qua ipsa spirituali & proportionata ustione, hic formari potest discursus.

Experimur, admoto igne corpori, sensibilem nostrum dolorem, cruciatumque materiale, quem percipit sensitiva: quia verò nunquam ita percipit sensitiva, quin etiam percipiat intellectiva pars, ut suppono ex Animasticis: percipit patiturque eum dolorem, etiam ipsa anima, etque spiritualis: qui dolor, est per proportionem ustio: quia est species quædam doloris spiritualis, qui non ponitur, nisi vel ad realem ustionem, vel ex specie excitata materialis ustionis, simul trahente secum speciem spiritualem, quæ deferriat ad talem dolorem spiritualem percipiendum. Quo posito

Sic ulterius proceditur. Non implicat contradictionem, ut ignem illum infernalem eleve Deus, per potentiam obedientialem, ad principium talem dolorem spiritualem, qualis solet haberi in anima unita corpori quod uritur: quæ enim in hoc implicantiæ? vel enim hæc implicantiæ ex eo esset; quia ille ignis non est vitalis & dolor est vitalis: vel ex eo; quia ille dolor esset spiritualis, & ignis materialis: vel ex eo, quia quando non est materialis ustio, non potest esse dolor verus spiritualis, qualis percipitur, dum fit talis ustio. Nihil horum probat intentionem arguentis. Non primum, quia dari possunt compingia ad actum vitalem, ipsa non vitalia, modo principale principium, sit vitale: Et ita habitus supernaturalis in multorum sententia non est quid vitale aliaque multa, v.g. species sensibiles, & tamen principiant actum vitalem. Secundum etiam non obest: quia non implicat contradictionem, elevari (saltem divinitus) materiale aliquid, ad producendum aliquid spirituale. Tertium etiam non obest, quia quamvis id naturaliter fieri non possit, præcipue cum vera, gravi, non apprehensa pressurâ: non implicat tamē id fieri determinante Deo, ut producat talis dolor, concurrenteq; ad illū elevato igne. Et sicut naturaliter non potest videri color absens, potest tamen divinitus determinari potentia, & completi, supplente completionem ponibilem ab objecto, ipso Deo, ita ut exeat in actum visionis: cur ergo ex simili determinatione, talis dolor, de quo hic, haberi non poterit?

Breviter explicatur. Quomodo spiritus puniatur ab igne? Quia scilicet ex una parte

determinat Deus ad eliciendum talem dolorem spiritualem, qualis haberi solet, dum uritur corpus, ex alia parte elevat Deus ignem, ut suo modo concurrat, determinetque ad talem dolorem.

PROBATUR 1. Explicatio auctoritate Gregor. I. 4. Dialog. c. 29. *igne visibili ardor ac dolor invisibilis erahitur, & per ignem corporum mens incorporea, etiam incorporea flammâ cruciatur.* Et inferius. *Quamvis colligere ex dictis Evangelicis possumus, quia incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patitur.* Eadem sententia videtur esse Henrici apud Suarez in substantia. Ut videre est c. 14. n. 24. ubi docet, ignem affligere demones illo genere afflictionis, quod affligeret sensum corporis, proque eadem sententia citatus potest adferri Mart. n. 99.

PROBATUR 2. Quia ex una parte non implicat id contradictionem, ex alia parte longè simplicius ostendit, & explicat verba Scripturæ, utpote adferendo & ostendendo dolorem poenalitatis igneæ.

PROBATUR 3. Quam multa vexativa formari solemus, & si seclusa ligatione sensuum idem nobis contingeret, indubiè insigniter affligeremur, cur ergo altiori modo, præsentē etiam plenè sibi animo, non poterit idem facere Justitia Dei.

DIFFICULTAS III.

Solvuntur Objectiones.

OBJICI potest 1. Non potest Deus ponere qualitatem, quæ posita in Angelo, faciat illum potentem pati à calore materiali ignis. Ergo neque potest elevari ignis ad causandum dolorem explicatum. Ant. multis probat contra Henr. Suarez à n. 27.

RESPONDETUR. Quia illa qualitas & faceret Angelum posse pati à calore materiali ignis ut supponitur; & non faceret, quia deberet facere illum pati per dolorem materiale ustionis: (de hoc enim procedit quæstio) & tamen spiritus utpote incorporeus, uri non potest: tale autem absurdum nullum sequeretur, si elevaretur ignis ad principium dolorem spiritualem, afflictivum spiritus, modo explicato.

INSTABIT 1. Hic dolor non potest esse nisi ex qualitate illa dolorifera, quæ ex vehementi calore resultat; quia illa est proprium objectum illius: sed ignis ille in substantia spirituali, non facit formalem calorem, ergo nec principabit prædictum dolorem.

RESPONDETUR. Illum dolorem naturaliter ex vi connexionis cum corporeo, non posse principiari, nisi ex qualitate dolorifera, orta ex calefactione: posse tamen principiari talem